

Albensis. Item quidquid veterum castrorum, & villarum, & podiorum intra dictos limites possidebat juste, vel injuste Dominus Bonifacius marchio pater eorum, & inter Astam, & Albam a dextra parte fluminis Tanagri (21) . . . hominibus, domibus, districtis, territoriis, ædificiis, & ruinis dictorum castrorum, & locorum cum casaliibus illorum de Utrolio, de Castillione, & de Cannellis; coherent ut supra Tanarus ab una, & Belbus ab alia parte Dominus Bonifacius frater pro parte sua, & communis Ast, & Domini de Incisa, quæ pars obvenit ut supra Domino Oddoni Boverio, & denominata fuit Comitatus de Laureto.

Quibus septem partibus ut supra dictum est de communi consensu sic factis & ordinatis, & per ipsos & singulos ipsorum Dominorum fratrum marchionum electis, & perceptis (22) arbitratoribus unicuique placuit pars, quæ eis supra obvenit, & confessi fuerunt se tacitos, & contentos, sibi que ab invicem promiserunt per stipulationem unus alteri, & alter uni vicissim; & juraverunt ad sancta Dei Evangelia se non inquietare, nec molestare, neque inquietari, nec molestari facere, nec de jure, nec de facto, sed prædictam divisionem & pacta in perpetuum grata rata, & firma habere per se ec., eisque nunquam contradicere sub pœna trium millium aureorum . . . quando contrafieret, ita ut nequaquam liceat eisdem Dominis fratribus Marchionibus, & singulis eorum, & heredibus quibuscumque amplius nolle quod nunc voluerunt, aut velle quod nunc noluerunt, sed quod ab eis sic factum est firmiter observetur.

Et de prædicta divisione iidem Domini fratres Marchiones de Wasto, & singulis eorum publica instrumenta ejusdem tenoris fieri, & tradi rogaverunt. Acta sunt hæc in castro Saone in Camminata veteri versus mare coram Dominis Petro Astensi, & . . . icione Savonensi Episcopis anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo secundo, undecimo calendis januarii, indictione sexta. Interfuerunt testes Rubaldus de Lavania, Ugo Embriacetus, Anselmus de Quadraginta, Gherardus Scortia, & Malocellus, Obertus de Bubbio pincerna quondam Domini Bonifacii marchionis, M. Quaglia miles Domini Mainfredi marchionis. Et ego Ubercionus Notarius Domini Imperatoris hanc chartam donationis publicavi, & scripsi.

Et ego Petrus notarius rogatus interfui, & scripsi.

Et ego Gulielmus Muralia Notarius Apost. Palatii hanc divisionem, & ea quæ in ea scripta sunt extraxi, & exemplavi ex chartulario instrumentorum quondam Ubercionis Notarii sicut in eo legi, & vidi nihil addens, nec minuens de mandato, & ad opus Domini Henrici Templarii marchionis de Ponzono præsentibus Uberto de Mallo, & Petro de Insula testibus.

(1) Desunt septem, vel octo lineæ. (2) Deest linea. (3) Castro Forficis, de quo vide Durandum Piem. Cisp. (4) Desunt quatuor lineæ. (5) Deest integra linea. (6) Deest dimidia linea. (7) Deest dimidium linea. (8) Desunt usque ad hunc partem duæ lineæ. (9) Farigliano & Murra. (10) Desunt duæ lineæ. (11) Desunt tres lineæ cum dimidio. (12) In

charta an. 1295. 22. Aug. adhærentiæ Marchionis Nani Ceva cum communi Ast mentio habetur Villæ Ventiphæ. (13) Alias Lisium. (14) Casotto. (15) Nunc Boggiolo vicus Garexii. (16) Torrem fere conterminus Genuensium Regioni. (17) Bofia, vel Benevelli desunt duæ integræ lineæ cum dimidia. (18) Nunc castellum, olim etiam vocatum Saleggio, haud longe a S. Julia. (19) Deest una linea cum dimidio. (20) Desunt quinque, & amplius lineæ usque ad Pontem Sparvagium. (21) Deest una linea cum dimidio. (22) Desunt tres, & amplius lineæ.

*Donatio Comitis Umberti Monasterio de Locedio ex apographo autentico an. 1283.*

M C X L I X.

43

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo XLVIII., indictione XII., epacta XX. Concr. V. in Burgo Secusæ. Illustrissimus, ac Palatinus Comes Hymbertus . . . ac proheredibus, & principibus, & castellanis, sive præpositis, seu decanis fecerunt donationem Deo, & S. Mariæ de Locedio monasterio, scilicet quod situm est in terra Willelmi marchionis patris sui, ut videlicet liceat omnes qui de domo præfata sunt, & sua pecora, sive alia sibi necessaria per omnem suam potestatem, sive per villas, sive per castra, sive per prata nondum ad secandum parata sine aliquo debito, vel reditu, vel clusa transire, & secure iter suum facere quotiens voluerint per hanc suæ confirmationis auctoritatem suis, futurisque temporibus congregationi prædictæ firmiter, inviolabiliterque hanc donationem pro Dei amore, & animarum suarum salute concesserunt, ac ne ab aliquo prædicta donatio violetur, vel conturbetur omnimodo statuerunt, & præcipue omnibus suis defendere. Quod si quisquis ex suis violaverit Dei amorem, & suum perdat, & insuper maximam vindictam de ipsis accipiet, nisi quod abstulerant, dupliciter reddiderint. Hoc præcepit castellanis suis de Secusia, hoc præpositis, hoc cufariis, hoc custodiis pratorum, hoc dominis de Casellis, hoc Vicecomiti de Baratonia, hoc & omnibus aliis castellanis, sive vernaculis aliis præceperunt, & ut eos ubicumque possent, custodirent, & subvenirent deprecati sunt, ut Deus omnibus hoc servantibus peccatorum remissionem, & gloriam sempiternam tribuat. Episcopus Laufanensis, Vellelmus marchio Montisferrati, Abbas Secusienensis, præpositus S. Laurentii de Oulx, Aimar de Boifiaco, Aimo de Brianzon, Umbertus Rufus de Aviliana hoc confirmaverunt.

*Donatio Marchionum Manfredi, & Gullielmi de Bosco populo Gamundiensi.*

M C L I I.

44

Anno ab Incarnatione D. N. J. C. millesimo centesimo quinquagesimo secundo, Ind. quintadecima, secunda die augusti. Manfredus filius quondam Anselmi, & Gullielmus ejusdem Anselmi filius ambo marchiones de Bosco fecerunt donationem Gamundiensi populo de terra, quam ipsi habent in plano, atque de montibus præter Pecentum, & Ponzanum, atque Boscum alodia, atque alodia, &